



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

**Spanheim, Ezechiel**

**Amstelodami, 1671**

Altera à Voluptate 1. de Materia Nummorum. 2. ob Artis seu coelaturae praestantiam. 3. ob Imagines Illustrium Graecorum, & Barbarorum, quorum series obiter traditur. Item Romanorum. De Nummo Ovidii ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12878**

supellectilis sedulos & indefessos scrutatores, etiam-  
num recordatur. Unde præclarum illud viri inter  
Britannos doctrina & eruditione celebris de Jacobæis  
Hortis vulgatum alicubi testimonium. *Quem locum, si  
vicinam Pinacothecam, Bibliotheca celeberrima conjunctam,  
si NUMISMATA ANTIQUA Græca & Romana, si  
statuas, & signa ex Ære & Marmore consideres, non imme-  
rito Theaurum antiquitatis, & τρυφερόν instructissimum no-  
minare potes.* Omnium vero instar hoc loco, CHRIS-  
TINA AUGUSTA, quæ ut superiorum atatum  
decora & ornamenta, ita singularem quoque hujus  
industriæ amorem ac peritiam, ex ultimo Septentrio-  
ne secum in Urbem inexit. Quod ut documentis a-  
liis publice, & benigna oris significatione, mihi ali-  
quotiens privatim aperuit, ita incomparabilis in hoc  
genere Nummorum Theaurus, summo studio recens  
ab ea congestus, ad memoriam posteritatis loquetur.  
Eant itaque venusti & elegantiores homines, qui con-  
temptu & ludibrio has artes, ut minus decoras, aut qua-  
si in situ & squallore versantes, prosequuntur. Si tan-  
tis enim ac tam splendidis nominibus & exemplis non  
adfurgunt, nihil certe de hujus industriæ DIGNI-  
TATE, de sua vero existimatione aut verecundia, non  
parum forte detrahere censebuntur.

Patritius  
Junius in  
Not. ad E-  
pist. Cle-  
ment. ad  
Corinth.

Suedorum.

COMMEN-  
DATIO AL-  
TERA A  
VOLU-  
PTATE.

I.  
A Materia  
Nummo-  
rum.

Nec utique inferiorem huic elegantia veteri com-  
mendationem, incredibilis quædam VOLUPTAS con-  
ciliat. Quam innoxia enim illa & multiplex, immo quam  
suavis & jucunda in Nummorum id genus contempla-  
tione, vel ipso adspectu prodit sese & ostentat! Non hic  
ego illam intelligo, quæ ex *Materia* pretio vel pulchritu-  
dine exurgit; quæ alias vel sola in Nummorum tracta-  
tione, singulare quoddam habet lenocinium voluptatis.  
Festi-

Festiva quidem illa apud Lucianum Mercurii sollicitudo, qui dubius in quodam confesso Deorum varii operis & metalli, an materiæ vel artis prærogativam in iis spectaret, à Jove responsum refert, æquiores quidem esse artis partes, auro tamen vel materiæ primas tribuendas. Mitto hæc aucupia, quibus aut vulgus, aut certe cum vulgo sapientes animæ capiuntur, erectæ autem & cordatæ mentes moveri parum consuevere. *Ἐκπλήττει γὰρ ἰδιώτῳ μὲν τὸ τῆ ὕλης κάλλος, τεχνίτῳ δὲ τὸ τῆ τέχνης αἴθερ,* ut ait magnus Galenus in præclaro de Usu Partium Commentario: Nosti utique, quod fictiles olim Deos & Heroas, antiquissimi Majores vestri eadem religione coluerint, qua eorum posteri aureos illos, æreos, & gemmeos quandoque (qualem Pompeii imaginem in triumpho ejus prælatam legimus) sunt prosequuti. Unde ferrei antiquorum Laconum, aut coriacei etiam præcorum Romanorum Nummi, quibus & usos etiam Lacedæmonios accepimus, vix minorem hodie gratiam aureis & argenteis recentiorum temporum, apud veros harum rerum æstimatores consequerentur. Quamvis nec amovenda sit ab hoc loco, ut indecora aut minus opportuna omnis ejusmodi delectatio; dum vel Electri veterum, vel Æris illius Corinthii, quo ad insaniam usque Romani veteres delectabantur, obvia adhuc in Nummis materia nonnunquam spectatur;

*Æraque ab Isthmiacis auro potior a favillis.*

Laudat alicubi Plutarchus æris in Statuis quibusdam colorem floridum, situi ac ærugini haud obnoxium. Talis utique in hac veteri Nummorum supellectile, cum singularis cujusdam venustatis laude, spectatores sæpius adficit ac delectat. Ita ut hic quoque locum habeat, quod de cælatis operibus jam olim agnovit Plinius, *ut alibi ars, alibi materia esset in pretio:* im-

In Jove  
Tragedo.

Lib. 7.  
pag. 403.  
edit. Græc.  
Basil.

Nicol. Damascen.  
Excerpt.  
p. 522.

De Pyth.  
Oraculo.

immo L. XXXI. c. 1.

mo utraque etiam manifesta & frequens in hoc censu arguatur.

1.  
Ob Artis  
Præstan-  
tiam.

Orat.  
xxxvii.

Potiores tamen partes illa *Artis* commendatio sibi vindicat hoc loco, quæ ut in omni elegantia genere spectabilis, ita hic quoque singularis & admiranda frequenter occurrit. Meministi forte apud Dionem illum oris aurei, ut voluptatem ex conspectu Statuæ Jovis Olympii suaviter alicubi extollat; ut non homines solum, sed bruta etiam illius spectaculo adfici, immo afflictis malorum oblivionem conciliari statuat: illamque virtutem incredibilem non auro, vel ebori, ex quibus constabat illud Phidiæ miraculum; sed divinæ cujusdam artis præstantiæ continuo adscribat: *tale lumen*, (ut Romanis eum verbis loquentem inducam) & *tanta gratia illi ab arte inerat*. Gemina plane in hunc sensum, & commendationem hujus simulacri apud Galenum legas loco supra laudato. Neque vero id continuo mirabitur, qui noverit haud aliam contemplationem non hujus solum, sed omnium retro ætatum oculos vel mentes explevisse lubentius, quam ubi Ars suam cum Natura æmulationem, ad eisdem non ruinam vel interitum, sed ad restaurationem potius & propagationem, omni opera convertit. Unde factum, ut felix illa hujus almæ Parentis imitatio dicam, an provocatio, ad summum fastigium paulatim evecta, in varias quoque similitudinum formas, plasticam; statuariam; picturam; encausticam; cælandi signandique artem, magno gentium consensu, passim diffusa fuerit & traducta. Quum vero in quovis hujus memoriæ genere, singularis veterum vel industria, vel felicitas fuerit; hinc non immerito quidquid ex ea peno ad nostra usque tempora incolume transit, summam jucundissimæ delectationis materiam præbet.

In

In ea vero lauta, & beata supellectile, eo majori quoque voluptate, aut admiratione continuo perfundimur, quo artis elegantiam major quædam (qualis in Nummis occurrit) ejusdem subtilitas probat. Adeo ut non extra dubium sit omnino, quod apud Plinium Lib. 1. Ep. juniorem nuper legebam, Statuas, Signa, Picturas, <sup>20.</sup> hominum decoras, animalium quoque & arborum, nihil magis quam amplitudinem commendare. Nec enim aut Timanthi Cyclops, aut Myrmecidis quadrigæ, aut Callicratis formicæ, aut Pausii tabellæ, aliaque opera compendio minus quam præstantia artis, apud veteres celebrantur, vel inferiorem æstimationem mole sua spectabilibus Signis & Tabulis consecuta sunt. Protogenis tabulam magnæ quidem amplitudinis & elegantiæ, illis tamen Apellis summæ tenuitatis lineis potissimum nobilitatam legimus; & auctore eodem Plinio seniore, Phidiam non magis Jovis illius Olympii, aut Minervæ ingentia simulacra, quam in hujus seuto Amazonum vel Gigantum cum Diis prælia expressa, & in soleis Lapitharum & Centauro- rum certamina commendarunt. Quod ipsum de præstanti illo artifice tradit Cæsar Julianus in Epistolis, eum non solum celebritatem consequutum ex imagine Olympica aut Atheniensi, verum etiam quod in exigua sculptura magnæ artis opus incluserat. Idem quoque Theodoro præstantissimo artifice evenisse ac- Lib. xxxvi. cepimus, *qui dum ipse se ex are fudit, præter similitudinem* cap. 5. *mirabilem, fama magna subtilitatis celebratur.* Enimvero supremos quasi artis conatus illa opera haud immerito judicarunt, in quibus plus intelligitur revera quam pingitur, & ut ejusdem Auctoris verba huc detorqueam, quam ars summa sit, ingenium tamen est ultra artem. *Mirus profecto homo,* inquit in simili argu-

E

mento

Met. lib.  
VIII.

mento Madaurensis Philosophus, imo semi Deus, vel certe Deus, qui magne artis subtilitate tantum efferauit argumentum. Unde Gigantum ossa, aut Solis, vel Comodi Colossea capita minus forte hodie nos delectant, quam expressa horum in Gemmis & Numismatibus, exigua quidem illa & tenuia, sed singularis cujusdam & divinæ præstantiæ simulacra. Hinc de illis idem

Plin. lib.  
XXXIV. c. 8.

Plinius: *Gemmae supersunt & in arcto coarctata rerum natura majestas, multis nulla sui parte mirabilior.* Neque aliter

Lib. XVII.  
de Usu Partium pag. 556. edit. Basil. Græc.

commendatum alicubi à Galeno videat suæ ætatis artificem, à quo Phaëton cum quadrigis Annulo ita scite insculptum, ut cujusque equi & frœnum, & os, & dentes ac pedes anteriores pulcre dignoscerentur. Gemina vero plane hæc Nummorum laus, in quibus expressas juxta & coarctatas similitudines varias, singulari cum voluptate, & industriæ non vulgaris commendatione, periti hujus arbitri & æstimatores passim contemplantur;

*Tantus honos operi, sineque inclusa per arctos Majestas!*

In Phocione.

Quo referri potest illud Plutarchi, *ὡσαυτὴν καὶ τὴν ἐπιπέλαρον ἀξία πλεονέχου ἐν ὀλίγῳ βεβαρυτάτῳ δαμάριον ἔχῃ, sicut Nummi etiam æstimatio magnam in exiguo pondere vim habet.* Adeo ut in præstantiores ex iis Nummos, optime meo judicio cadat, quod de quodam Apellis opere olim dictum, *plura ostendere verius quam promittere;* immo forte quidquid de vocali Memnonis signo; Hectoris apud Ilienses statua spectatores ad tangendum provocante; Myronis & Praxitelis operibus, tanquam spirantibus singulis, apud Plinium, aut utrumque Philostratum lego, & de quibus in genere divinus Vates,

In Iconibus.

*Stabunt & parii lapides, spirantia signa.*

Hanc laudem certe plurimi sibi vindicant etiamnum super-

superstites Græcorum, & Siculorum vel inprimis, ac Italiae vestræ, ut Neapolitanorum, Posidoniatorum, Yelinton, & Tarentinorum Nummi, aliique venustate non minus, quam vetustate spectabiles. Romanorum vero ea laus adhuc potior, quorum Nummi ab Augusto ad Antoninorum usque & Severi etiam tempora, magna cum artis & elegantiae admiratione, ac in omni metallorum genere varietate intuentium oculos oblectant;

*Vidi artes, veterumque manus, variisque metallis*

*Viva modis, labor est auri memorare figuras.*

Infra eam ætatem venustas illa, ut fateor, defecit, & una quasi cum Imperio Romano confenuit; ita ut ab usibus aliis potius, quam ab elegantia commendationem mereantur sequentium Caesarum Numismata. Nec omni tamen voluptate spectatorem plane defraudant, qui delectum aliquem in iis habendum meminerit, nec Nicomachum infeliciter fuerit æmulatus, qui

*multas gemmas habuisse traditur, sed nulla peritia electas.* Plin. lib.

Perierat Plinii ætate æris fundendi scientia, immo ars xxxvii. cap. 1. quoque argentum cælandi; nec minus proinde, eodem auctore, attritis etiam & quæ discerni non poterant cælaturis, pretium & voluptas illa ætate constabant.

Eandem tamen ex Nummis delectationem, præter Materiam, aut Artis elegantiam, quam postremam non omnes forte perinde capiunt, tot *Illustrium Imagines* in

iis conspicuæ, mirum in modum augent & extollunt. Nobilitata quidem legimus aliquot præstantissimorum Artificum opera, solis industriæ illecebris, nisi aliquis aut temulentæ mulieris, aut canis vel formicæ conspectui, novum aliquod & singulare voluptatis genus inesse arbitretur. At quam decoræ, nec alibi etiam obviæ contemplationis speciem Nummorum Veterum

tractatio, vel ad spectus præbet? Convenio hic ego te, OCTAVI jucundissime, utrum suavius aliquod ex omni veterum Supellectile spectaculum, aut mente possit fingi, aut oculis usurpari, quam omnis quasi memoriæ Heroas, & illos Orbis olim Dominos, Nummorum beneficio superstites & spirantes videre, vultus saltem illorum & ora, post tot sæculorum decursum, coram adhuc intueri?

*Os sacrum, quod in are colis, miraris in auro,  
Cerne libens.*

Rudera utique varia, aut aliæ vetustatis reliquiæ, quæ certe non leviter hic me delectant, præ hac tamen voluptate, ut ingenue fatear, vilescere mihi quodammodo videntur. Legisti enim aliquoties, quæ anxia veterum cura & sollicitudo fuerit, ut præstantium Civium aut Decessorum suorum imagines domi haberent expressas, ut illo amissæ virtutis vel solatio, vel recordatione se oblectarent. Hinc illæ similitudines, quæ primo, teste Plinio, illustrem ob causam exprimitantum solitæ, propagatæ paulatim diffusius, ita ut clarorum hominum effigies in Templis, Atriis, Liminibus, Cubiculis, Bibliothecis, aliisque publicis & privatis locis certatim tandem adservarentur. Adeo ut honorem illum non Clientes solum Patronis, Magistris Discipuli, aut Majoribus Nepotes, sed privatis etiam Principes frequenter exhiberent; quod Varroni ab Asinio Pollione primum tributum narrat Plinius, & laudabili dein æmulatione ab ipsis quoque Cæsariibus nonnunquam factitatum accepimus. Commemoratur certe inter alia Augusti decora, quod memoriam illorum virorum, quibus Roma creverat, impense coluerit, & Statuis aliaque ratione renovari curaverit. Quæ magnorum hominum reverentia Alexandrum Seve-

Lib. VII.  
c. 30.

Sueton. in  
Aug.



Severum longius adhuc provexit, qui non solum De-  
 cessorum suorum, sed Ciceronis, Virgilio, aliorumque Lamprid. in  
 Alex. Sev.  
 id genus Semonum imaginibus, sacra etiam facere con-  
 fuerat. Haud minus flagrarunt hoc studio, duo cla-  
 rissima litterarum & Urbis lumina, Varro & Atticus,  
 qui præstantium Virorum imagines, libris suis com-  
 plexi leguntur, ut posteris iidem conspiciendi trade-  
 rentur. Nec te effugit opinor, ut geminum illud stu-  
 dium in Capitone suo extollat alter Plinius: *Est, in-* Lib. i. Epist.  
*quit, omnino Capitoni in usu claros colere, mirum est qua re-*  
*ligione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum*  
*domi ut potest habeat.* Unde factum nosti, ut nobiles di-  
 cti sint *homines multarum imaginum*, ignobiles vero qui  
*imagines non habebant*, nec *imagines majorum* poterant  
 ostentare, ut de se non semel profitetur novus homo  
 Marius in historia Jugurthina. Neque enim promi-  
 scuum fuisse jus illud imaginum apud Quirites vestros,  
 sed curulium Magistratum proprium, licet aliunde ex  
 Tullio colligere, qui de sua ædilitate loquens, conse-  
 quutum se docet, *togam prætextam, sellam Curulem, Jus* In Verrem  
**IMAGINIS** *ad memoriam posteritatemque prodenda.* Has v.  
 autem Imagines positas in prima ædium parte docuit  
 nos præ aliis Valerius. Ut jam nec mirum videatur, Lib. v. c. 8.  
 quod de Epicuri discipulis narrat alicubi idem Tul- Lib. iv. de  
 lius, eos Magistri imaginem in Tabulis, Annulis, Po- Finib.  
 culis expressam habuisse. Quod ipsum quoque Mele- Chrysof.  
 tio Antiocheno Antistiti contigisse observo apud al- Homil.  
 terum Christianorum Tullium, qui haud aliter ejus LXXVI. in  
 imaginem in Annulis, Cælaturis, Poculis, Parietibus, S. Melet.  
 ubique tandem ab Antiochenis depictam aut cælaram t. v. p. 538.  
 commemorat. edit. Savil.

Nec inanis utique ea Voluptas, quæ in magnorum  
 hominum contemplatione posita, aut vacua pulcher-

rimo fructu ceneri debet. Consulere majorum imagines Patrum suum jubet alicubi Tullius, ut virtutis incitamentum, & gloriae praemium. Audi eundem pro Archia; *Quam multas nobis Imagines non solum ad intendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores & Graeci & Latini reliquerunt, quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione excellentium hominum conformabam, Princeps autem Romanae historiae in bello Jugurthino; Nam saepe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praecclaros viros solitos ita dicere; cum majorum Imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere. Unde laudatus ille paulo ante Alphonfus, Caesaris adpectu ex Nummis non oblectari se solum mirum in modum, sed ad virtutem quoque continuo accendi praedicabat. Si claudicantis enim cujusdam apud Syracusanos Statua, ita adficiebat spectatores, ut ulceris dolorem sentire viderentur; potior certe hic quaedam voluptatis ratio, & commotio animorum aliquanto opportunior occurrit in tot Heroum, quos Nummi exhibent, adpectu.*

Meministi forte differentem in Academiae spatiis Ciceronem (libenter enim Principis ingeniorum, tibi que familiaris auctoritate utor & exemplis) quantum adfici solitus fuerit conspectu illorum locorum, in quibus clari homines multum fuerant versati: *Venit enim, inquit, mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum; cujus etiam illi hortuli propinqui, non memoriam solum mihi adferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates,*  
hic

De Finib.  
lib. iv.

hic ejus auditor Polemo, *cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus.* Fatetur etiam ibidem illud uti venire, ut acrior quædam & attentior, ob memoriam locorum, de claris viris subeat cogitatio; & refert se Metapontum aliquando profectum, non ante ad hospitem divertisse, quam Pythagoræ locum, ubi vitam ediderat, ejusdemque fellam vidisset. Nec diversum tale quid ad Urbem adeuntibus quotidie contingit, si qui veteris memoriæ plane non sunt incuriosi, qui, quod ille de Athenis, ita quocunque hic ingrediuntur, in aliquam historiam vestigium ponere non ignorant; Hic Scipio, hic Cæsar, curru Capitolium ingressi, hic Tullius pro Rostris perorabat. Quod si tamen res accuratius subducatur, quis non illud imitationis studium, quod in hoc ipso spectaculi genere requirit ibidem Tullius, contemplationi vultus eorundem hominum, potius quam nudæ loci memoriæ, aut sedilis ad spectui tribuat? quorum alterum nullum rei gestæ vestigium, aut aliquam viri notitiam præbet; alterum, ipsum Auctorem præclari facinoris aut consilii, vere in conspectu ponit, *sic vultus sic ora ferebat.* Neque enim quempiam opinor, thorax vel equus fortis ducis inspectus (qui tamen ad victoriam momentum aliquod conferunt) ad bellicam virtutem accendent, ut ipsius ducis armati & equitantis posita ob oculos effigies; neque etiam Pythagoræ sedes, ut sedentis ejusdem in Nummis habitus, sapientiæ amorem valebit excitare. Nec id dif-  
fitebitur omnino, qui expressam videt in monumentis id genus, ipsam antiquæ clarorum hominum virtutis, & magnitudinis imaginem. Quo in loco subit me recordatio Phœnicii illius apud Philostratum, qui in <sup>In Heroi-</sup>  
Vinitoris cujusdam descriptione, Palamedem, & reli-<sup>cis.</sup>  
quos belli Trojani Duces, quasi præsentem videre sese  
& agno-

& agnoscere prædicabat. At certe luculentius Nummi id præstant, in quibus non Athletas in Olympicis victores; non Rhetores, aut Sophistas; non de Urbe solum aliqua benemeritos Cives, quibus statuas, aut imagines olim decretas, apud Pausaniam aliosque legimus; sed clarissimos omnium ætatum Imperatores; populorum Duces, & Conditores Gentium, licet etiamnum cupidis & attentis oculis intueri.

*Est aliquid spectare Deos, & adesse putare,  
Et quasi cum vero Numine posse loqui.*

Reges, &  
Duces in  
Nummis  
Græcorum.

Hic enim occurrunt, Macedonum *Amyntæ, Philippi, Alexandri, Perdicæ, Antipatri, Cassandri, Philippi* posteriores, & *Persei*; hoc est præcipua Regum apud eos series. *Ægyptiorum Ptolemæi, dicti, Soteris, Philadelphi, Philopatoris, Cerauni, Latheri, Physcones, Euergetes*; *Asiæ, Antigoni*; *Syrorum ac Phœnicum, Seleuci, Antiochi, Demetrii, Alexandri, Tryphones, iique Soteris, Callinici, Nicatores, Dionysii, Magni, Dii, Epiphanes, Euergetes, Philopatoris, Philometores, Sedetes, Eupatoris, Commageni*; *Carum Menandri, Pexodari, Mausoli, Idriæ*; *Ponti vel Bospori Mithridates, Euergetes & Eupatoris, Pharnaces, Asandri, Sauromates*; *Bithyniorum Nicomedes, Prusiæ*; *Cappadocum Archelai, Ariobarzanes, Ariarathes*; *Thracum Lysimachi, Seuthes, Cotyes, Rhæmetalces, Rhescypores*; *Pergamenorum Philetari, Attali*; *Siculorum Hierones, Gelones, Dionysii, Agathocles, Hieronymi*; *Epirotarum Pyrrhi, Alexandri*; *Lacedæmoniorum Agesilai, Polydori*; *Carthaginiensium Amilcares, Hannibales*; *Arabum Manni, Aræta*; *Cyrenensium Ptolemæi*; *Numidarum Jugurtha*; *Mauretanorum Juba*; *Sicyoniorum Arati*; *Judæorum Herodes*; *Edeffendorum Abgari*; *Armeniorum Tigranes*; *Parthorum etiam Arsaces & Vologeses. Quibus accedunt Vandalorum Hilderici*; *Gotthorum Athalarici,*  
*Theo-*

*Theodahati, Theodeberti, Alarici, Witiges, Totila, Attila.*  
 Inurbanus sit certe & omnis expers innoxia voluptatis, qui ad tot Regum & augustorum vultuum conspectum, tangi sese continuo intimi gaudii sensu non agnoscit. Nobilior certe & latius patens spectaculum fatearis altero ejusdem generis, quod commendat alicubi Tullius; qui depictas in tabulis imagines Siciliae Regum ac Tyrannorum non solum docet pictorum artificio delectasse, sed etiam commendatione hominum, & cogitatione formarum. De me equidem memini, ad insolitum me tanquam, & incredibile spectaculum exiliisse propemodum, quum id genus Heroas ac Duces, ex prisca Annalium memoria haud ignotos, in instructissimo talibus maximi Principis ac Mæcenatis mei museo, oculis mihi arbitrari primum licuit,

*Dum vagor ad spectu, visusque per omnia duco.*

Mitto jam Semi Deos alios, ac antiquissimos Urbium Conditores aut Benefactores, *Castores, Herculem, Abderum, Phalantem, Minon, Hectorem, Diomedem, Cyrum, Euryppulum, Byzam, Tarantem, Solymum, Cyzicum, Sossandrum Pergamum, Tmolum, Tomum, Docimum, Nemausum,* Conditores, aut Benefactores Urbium. aliosque plures, quos Heracleensium, Cnosiorum, Iliensium, Ætolorum, Cyrretum, Abderitarum, Byzantinorum, Tarantinorum, Cilicum, Cyzicorum, Smyræorum, Pergamenorum, Sardonorum, Tomitanorum, Docimensium, Nemausensium nummi, mihi aliquoties in Italia vestra inspecti, ad posteritatis memoriam etiamnum tradunt. Mitto præterea clarissimas & è Reginarum quidem vel Amazonum serie Feminas, *Phedram, Smyrnam, Cumam, Amastrin, Beroenicem, & Arsinoëem* non unam, *Jotapen, Phitiam, Pythonicam, Philistidem, Cleopatra* aliquot, *Zenobiam,* earumque fastigio minorem, nec minus tamen celebratam

F

*Sappho.*

*Sappho*. Nec enim sceptris solum & rebus gestis inely-  
 ros, sed pacis etiam & ingenii artibus spectatos vultus,  
 Nummi aliquot selectiores nobis exhibent. Ita priscos  
 illos *Legislato-*  
*res.* *Zaleucum*, *Charondam* (si fides habenda  
 viro docto) *Pittacum*, *Lycurgum*, in vetustissimis Lo-  
 crorum, Catinæorum, Mytilenæorum, & Laconum  
 Nummis adhuc hodie videmus expressos. Nec minori  
 certe voluptate adficient inspecti in Nummis Sa-  
 miorum *Pythagoras*; Tarentinorum *Archytas*; Syracu-  
 sanorum *Archimedes*; Megarensium *Euclides*; Laodi-  
 censium *Dracus*; Mytilenæorum *Alceus*; Teiorum  
*Anacreon*; Coorum *Hippocrates*; Colophoniorum *Py-*  
*theus*; Magnesium quoque *Marcus Tullius*. Ut in-  
 tinentem adhuc hodie venerandos id genus vultus in  
 Nummis æreis, ejusdem Tullii rursus cogitatio subie-  
 rit, qui æream Demosthenis imaginem olim à se in-  
 spectam profitetur, alibi vero Aristotelis; unde & in  
 Lib. iv. Ep. sedecula posita sub illius imagine apud suum Atticum  
 ad Att. 9. tradit sedere sese malle, quam in aliorum sella curuli.  
 Immo *Ovidium* quin etiam & *Pollionem* Menandri cu-  
 jusdam Parrhasii industria ad nostra usque tempora,  
 in duobus æreis Nummis, feliciter transmisit; quo-  
 rum alterum in Pinacotheca Christianæ Augustæ, alte-  
 rum te duce, apud Feliciam Rondanini, præstantissi-  
 mam Matronam, inspexi; quem etiam inde in novis-  
 sima Nafonis sui editione expressit Vir præter alia de-  
 cora, hujus quoque antiquitatis diligentissimus inve-  
 stigatorem Nicolaus Heinsius noster. Integrum vero hic  
 habes cum averfa parte, qualem nummus ille inter ra-  
 rissimos repræsentat.

Ut levis terra sit huic Parrhasio, qui sacros vultus  
 Musarum Venerumque omnium Sacerdotis interci-  
 dere non est passus, quos bona cum Augusti venia,  
 omnes



omnes Musis Gratiisque initiati in sacraiiis suis recon-  
dant. Unde eidem Vati quærenti jam olim,

*Si quis habes nostros similes in imagine vultus;*  
habere sese adhuc hodie cupide contestentur, & eo  
quidem studio, quo ipse commemorat suam gemmæ  
jam olim insculptam ab amico imaginem,

Lib. 1.  
Trist. El. 6.

*Effigiemque meam fulvo complexus in auro.*

*Pollionis* quidem Nummum nomine Vedii signatum,  
non diffiteor à quibusdam ad Augustum referri; qui  
tamen Franciscum Gottifredi, optimum talium arbi-  
trum in alia discedentem novi. Goltzii quidem Num-  
mus præfert ΟΥΗΔΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ, Augustæ vero  
Reginæ tantum ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ, ut iste ad Asinium  
Pollionem referendus eidem videatur. Nec mirum  
forte aut insolitum videri posset, hunc honorem huic  
Pollioni *Cæsareæ* tributum, sicut signatum in altera  
Nummi parte, quam Urbem ab Herode magno con-  
ditam, vel restauratam novimus; quem Romæ Pol-  
lionis hospitio usum, & principem amicorum eundem  
habuisse, apud Josephum legisse memini. Neque ta-  
men desunt quæ meum hic ad sensum etiamnum cohi-  
beant & de quibus alibi. Alias alterius quoque Pollio-  
nis meminit non semel idem Josephus, huic Herodi  
itidem summe chari & reverendi: sed cui utpote Pha-  
risæo nemo opinor hunc nummum imputabit. Ut  
præteream certe alios Polliones, celebres adhuc in se-  
quentibus Romanorum Fastis, illumque Asiæ sub

Lib. xv.  
c. 13.

Lib. xv.  
Antiq. c. 1.

<sup>a</sup> Orat. 7.  
<sup>b</sup> & 1 v. sacr.  
<sup>c</sup> Ecclef.  
 Hist. l. 1.  
 c. 15.  
 Lib. xxxv.  
 c. 2.

M. Aurelio Proconsulem, cuius <sup>a</sup> Aristides & <sup>b</sup> Eusebius meminere. *Homerum* præterea hic mitto, quem Amastrianorum aliquot, Smyrnæorum & Chiorum etiam Nummi, sed non uno vultu, exhibent: ita ut præ viri vetustate ad artificis ingenium effectum, Plinio alicubi id asserenti, fides omnino sit præstanda. Quod etiam aliquot vetustioribus supra traditis Heroum aut Philosophorum vultibus accidisse, haud immerito crediderim; qui morem illum non Romæ solum receptum ex Plinio novi, sed alibi etiam, & Athenis quidem usurpatum, ubi Æschyli imaginem in Theatro diu post ejus obitum factam, ex Pausania didici. Quod ipsum clarius alias tangit eximius Ciceronis locus, ubi argumentum à Deorum imaginibus petittum refellens Academicos ita ulterius perstringit: *Nam quid est quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma qua illi fuerunt. Quomodo ergo, & quorum imagines? Orpheum Poëtam docet Aristoteles nunquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagores serunt cussulam Cecropis. At Orpheus id est imago ejus, ut vos vultis, in animum sepe incurrit.* Non piguit locum integrum adtulisse, quem ante dies paucos, oblata forte de hoc veterum more cum industrio antiquario controversia, obiter adlegasse memini. Huc vero referri etiam debent Nummi illi ærei maximi & rudioris ac minus vetusti operis, vulgo *Contorniatii* Antiquariis dicti; in quibus idem *Homerus, Pythagoras, Socrates, Diogenes, Milo, Sallustius, Virgilius, Horatius, Seneca, Apollo Thyaneus, Apuleius*, aliique id genus jam olim expressi occurrunt. Amovendi vero ex hac serie novitii illi Nummi & moderni inventi, *Dido, Priamus, Menelaus, C. Marius, Scipio Africanus, Hannibal, Marcellus, Cicero, Virgilius, & Augusta*



*gusta* aliquot apud Æneam Vicum depictæ; in quibus nempe, nec veri, nec vetustatis ulla sese offert commendatio. Quod ut obvium rei Nummariæ veterum vel leviter peritis, non monerem hoc loco, nisi tyronibus & minus exercitatis, facum in his quotidie fieri, non semel animadvertissem. Hanc vero voluptatem, ex omni illa contemplatione ortam, vel Fulvii Ursini Illustrium Imagines abunde prædicant; quorum pars præcipua ita è Nummis expressa; ut altera locupletior ex adductis obiter Græcorum aut Barbarorum vultibus, erui adhuc possit, & ad publicam elegantiam exponi.

Majores autem vestros, illos terrarum Rectores, Romani in Nummis. nonne hic passim, & frequentius etiam in Nummis spectamus: *Cæsareos video vultus*. Illi sunt utique, quorum conspectu cupidi talium maxime se oblectant; immo quorum beneficio Roma priscos Civium ac Dominorum vultus sibi adhuc læta ante oculos ponit,

*Et centum Dominos nova monetæ.*

Hinc illi contemplari etiamnum & agnoscere conceditur, magnanimos suos *Julios, Augustos, Trajanos, Constantinos;* truces *Tiberios, Caligulas, Neronos, Domitianos, Caracallas;* mites *Titos, Nervas, Pios, Marcos;* molles *Othones, Commodos, Elagabalos;* universam denique Cæsarium seriem, familiam, indolem;

*En Cæsar agnoscet suum*

Prudentius.

*Gravissima nummis inditum.*

Sicut cum eruditissimo amicissimoque Marquardo Gudio nostro omnino legendum illo loco crediderim, ubi *Numisma nummis* hætenus legitur. Non aliter ac In Antiochico. Libanius cornua imagini Ius apposita, vocat *τὸ τὸ νόμισμα* & *ἰὺς*. sed hoc obiter. Nec vero Augustarum Augusta. adspectu minus forte delectatur, dum obviæ eidem in

Nummis occurrunt erecti vultus *Liviae*, *Octaviae*; infau-  
sti *Agrippinae*; invecundi *Messalinae*, *Poppae*, *Fauslinae*;  
probioris *Sabinae*, *Mesae*, *Mammaeae*; & ut alterius Ro-  
mae fastigia hic non omittam, sanctioris adhuc oris

*Reges.* *Helena*, & *Eudexia*. Mitto primos Conditores suos ac  
*Reges*, *Romulum*, *Numam*, *Ancum Martium*, *Servium*  
*Tullium*; quorum priores ex ingenio artificum effictos,

*Illustres.* supra ex Tullio tradidi. At enim sequentium tempo-  
rum ac Reipublicae decora, Nummi vere nobis reprae-  
sentant, *Regulos*, *Marcellos*, *Scipiones*, *Servilios*; & liber-  
tatis ipsius Numina, *Brutos*, *Catonem*, *Cassios*; ac nominis  
fortunae & magnitudini pares *Syllas*, *Pompeios*; & *Quiri-*  
*tium* olim amores, *Drusos*, *Germanicos*; & Civium fa-  
stigio majores *Antonios*, *Lepidos*, *Agrippas*; quos pari stu-  
dio ac felicitate, qua olim illi supra laudato junioris  
Plinii familiari, colere etiamnum ac domi habere  
conceditur. Adeo ut hoc demum impleverint id ge-  
nus Numismata, quod de Varronis opere has ipsas  
complexo Illustrium Romanorum imagines, augura-

*Lib. xxxv.* *c. 11.* batur Plinius major; *inventione muneris etiam Diis invi-*  
*diosus, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam*  
*in omnes terras misit, ut praesentes esse ubique & claudi pos-*  
*sent.* Quis vero tam inficetus adeo & inurbanus, qui  
leve id Nummorum beneficium arbitretur, aut usu ca-  
rere pulcherrimae voluptatis, praclarum forte & con-  
sultum ducat?

*3.* *Ob alia ar-*  
*gumenta*  
*Nummo-*  
*rum.* Nec tot alia *prisci avi Vestigia*, quibus praeter Effigies  
id genus, Nummi veniunt insigniti, leviori gaudio  
spectatorem perfundunt. Hic enim non sus forte, aut  
pecus, vel ratis, aut navis etiam rostrum solum sese  
offerunt; quibus notis signatos antiquissimos Roma-  
norum Nummos accepimus. Longe potior voluptas  
ex Nummis florentis Reipublicae, & sequentium tem-  
porum,

porum, quales hodie tractamus, exurgit; quam præter commemoratam supra antiquitatis commendationem, argumenti varietas & illecebræ abunde conciliant. Indignabatur quidem Zeuxis, quod argumenti novitatem, non artis præstantiam in ipsius Tabulis laudarent spectatores; quorum utrumque pari, ut jam intelligimus, jure, licet in Nummis id genus æstimare. Quid jucundius enim homini veteris memoriæ non plane incurioso, quam non hic tractare *pocula adoranda rubiginis*, sed præcos illos rerum dominos, modo sacra facientes cum omni Sacrorum apparatu & supellectile; modo Vota suscipientes pro salute Reipublicæ, aut Imperii aternitate; modo distribuentes donativa & Congiaria; modo Reliqua ceu Fisco debita remittentes; modo Annonam procurantes; modo Circenses, aut Sæculares ludos, vario spectaculorum genere celebrantes; modo Tempia, Portus, Thermas, Circos, Theatra, Vias, Aquæductus, Arcus, aliaque victuræ opera molientes aut ampliantes; modo peragrantes, & restituentes Provincias; modo deducentes Colonias; modo Libertatem publicam adferentes; modo Justitiæ, Concordiæ, Abundantiæ, Felicitati, Lætitia, Securitati, Tranquillitati denique Temporum, varia ratione consulentes, omnibus denique Pacis artibus florentes intueri? Quid suavius iterum, quam eosdem militari gloria conspicuos, aut ad Expeditionem accinctos; aut proficiscentes ad Exercitum & adloquentes è suggestu milites; aut Fidei jusjurandum ab iis exigentes; aut Disciplinam restaurantes; aut captivos Reges, & prostratas ad ipsorum pedes Provincias ostentantes; aut Regna adsignantes; aut sublimes in Triumphali curru, & à Victoria coronatos; aut inter signa militaria Gloriam Sæculi vel Romanorum dif-

fun-

Lucian. in  
Zeuxi.

48 DISSERT. PRIMA DE PRÆST. ET USU NUM.  
fundentes; aut gratulantem illis Adventum Romam,  
vel aliam quamvis Orbis partem: aut eosdem denique  
post impletum mortalitatis terminum, Divorum hono-  
ribus videre decoratos. Mitto varium adhuc specta-  
culum, quod insuper omnigena Nummorum Græco-  
rum & Romanorum supellex præbet, Deorum simu-  
lacro; Herculis labores; Urbium insignia & origines;  
Fluviorum figuras; Provinciarum effigies; Anima-  
lium formas; Plantarum imagines; Armorum gene-  
ra; Legionum nomina; Vestium species; Coronas  
omnis generis; alia præterea de quibus opportunior  
adhuc in sequentibus dicendi erit locus. Quis autem  
non gemina voluptate adficiatur, in contemplanda  
expressa tot pulcherrimarum & reconditarum in  
Nummis rerum effigie, qua Lucianus olim Rhodi pi-  
cturas in Porticu depictas adspiciens, tangebatur;  
*quam ex contemplatione, inquit, capiebam, heroicas illas  
fabulas memoriæ repetens.* Ego equidem, quid honesta  
sit ac suavis animorum remissio non intelligo, si illam  
non provocat ejusmodi contemplatio, quæ res tot An-  
nalianum curam meritas, nobis aliquanto manifestius ob-  
oculos ponit; ubi denique

*Suspendit picta vultum mentemque tabella.*

Immo eo magis innoxia ex hoc monumentorum ge-  
nere, quam ex iisdem Annalibus petenda; quo ejus-  
modi delectatio, turpi spectaculo foedæ voluptatis, sæ-  
vitix, insanix eorundem temporum & hominum  
quandoque non inquinatur.

D I S-